

F. h. 65

*De vita M. Jo. Mich. Reinholdi
Pastor. Einfidelenf*

Z d
5730

31

J. N. J. C. C

UT

**VIRTUTUM NOBILITATE, EXCEL-
LENTIA MUNERUM, ac DOCTRINÆ PRÆSTANTIA
MAXIME CONSPICUI**

**DOMINI INSPECTORES
SCHOLÆ,**

AC

**ALII VIRI MERITIS AC SCIENTIA
PRAECLARI,
TEMPLI, CURIAE ac URBIS LUMINA,**

**JUVENEM CANDIDÆ MENTIS BONÆQUE
EXPECTATIONIS,**

**JOH. GOTTHILFF REINHOLDUM,
Einfidelenf, Mifnicum,**

**DE SEPTIMANA MAGNA
verba facientem, fimulque Scholæ
carmine germanico**

**VALEDICENTEM
d. XXVI. Martii**

H. L. Q. C.

benevole audire ne graventur,
impense rogitat



**M. Daniel Müllerus,
Rect. Schol. Chemn.**

**CHEMNICII,
Literis Stöffelianis, MDCCXXV.**





* * *

Uam excellens sit bonum, iis nasci Parentibus, qui per omnem vitam virtutis ac probitatis documenta dare solent, inque bonis iure nomen possunt profiteri suum; qui liber, nisi cuius acies est obtusior, facile pro videbit. Nam ut mali corvi malum ovum, velut id, quod jam tritum est vetustate, proverbium ait, esse communiter consuevit: ita sapius ulli venit, ut, si qui felicius geniti, Parentesque probos ac honestos nacti sint, in eorum animis aptiora & manifestiora virtutum semina reperiantur; siquidem, quemadmodum Poeta cauit, *Natura sequitur femina-quisque sua.* Imo quamvis etiam sint quandoque liberi ad alia omnia, quam Parentes boni, animis propensi; certum tamen est & indubium, horum salutaribus crebriusque repetitis monitis a vitiorum foeditate ad vitam honestioris elegantiam distorta etiam ingenia faciliore negotio retrahi; praecipue si exemplum domesticum, cuius magnam vim esse novimus, accedat: cum contra pravi genitores suis vitam morumque habenas remittant laxissimas, nec eos meliores, quam ipsi sunt, habere vel velint vel possint. Qui nondum ex his, quae dicta sunt, colligere satis potest, quanta sit felicitas, probos habere generis autores; perpendat modo, vitam Parentum integram labeque carentem ita commendare solere liberos, ut magis non possint literarum vel diligentissime scriptarum: id quod verum esse laeo exemplo demonstrat *Tobias junior*, quem vix visum *Gabel* statim eximia diligebat charitate, Patrisque candore, iustitia ac pietate non ulli cedentis filium esse, voce maxima (a) praedicabat. Quae cum ita sint, non infulse Poeta, quem *ἑραγιστῶτων Ἀριστοteles* dixit, nempe *Euripides*, cecinit:

Ὡς ἔτι πατρὶ ἄνευ κἀλλίου γέρας,

ἢ πατρὸς ἐδῶν καγαθῶν πεφικῶνας,

quos graeci poetae versiculos Poeta latini oris, nescio quis, ita effari voluit:

*Non liberis est pulcherrimus munus aliud,
Quam liberos dici Parentis optimi.*

Sed quorum haec? In mentem mihi veniebat, *Reinholdianos* liberos Parentis optimi liberos iure suo nominari, & hac, quam dixi superius, felicitate praeter aliis multis frui. Inter quos cum sit etiam *Juvenis* bonae indolis avitaeque virtutis, *Johannes Gotthilf Reinholdus*, qui Musas nostras, post habitum cum iis duodecim annorum commercium (nam puer admodum iisdem fuit ad sociatus) honeste relinquere & Lipsiensibus adscribi jam cupiens in hac scriptioe illius gratia suscepta, *Parentum*, vel potius *Patris*, Viri antiqua virtute & fide, imaginem depingere paulisper volui, ut haberet filius, quod quotidie, veluti speculum, intueretur & imitaretur. Fuit is

M. Iohannes Michael Reinholdus, qui cum vitam propriam, & mortalitatis memoria, & exemplis doctorum virorum, *Thuani*, *Cardani*, *Rogeri de Rabutin*, & quos ipse memorat, *D. Georgi Weirichii* & *D. Christiani Chemnitzii*, incitatus descriperit, & ita quidem descriperit, ut omnes fere versus singularem spirent pietatem; in proclivi erit, compendio rerum factis; posteriora tantum hic excerpere. Communi hoc spiritu, die Decembris tertio & decimo, anno post millesimum sexcentisimum quinquagesimo sexto, in pago *Eppendorff* frui coepit, patre usus *Christophoro Reinholdo*, fabro ferrario, viro recti pertinace, & matre *Maria Margareta*, *Dni Andree Koebii*, Pastoris in *Eppendorff* & *Kleinhartmansdorff*, filia, in qua ipse *Eunice* alteram (c), fidei inpremeratae laude florentem, alteram *Hannam* (d), filium a Deo acceptum Deo reddentem & consecrantem, nec non *Monicam* (e) alteram, in filij commodum non nisi cum sine vitae orare desinentem semper sibi deprehendisse visus est. Postea, biduo interjecto, in Dei foedus, beneficio fontis sacri, adscritus & Deo & Parentibus

(a) Tob. IX, 9. (b) Doctos vitae propriae Scriptores recenset Carolus Arndus in Systemate Litterario, P. II. Sect. II. Class. V. (c) Tim. I, 5. (d) Sam. I, 28. (e) laudes Monice, matris Angulini, uberius exponit B. D. Christianus Kortholtus in weiblichen Tugend Spiegel, p. 14. seqq.

charior, quam antea, fuit, atque ab his non sine magna cura educatus est. Domi & in aedibus *Dn. Christophori Rümlieri*, Pastoris in Löppersdorff, prima pietatis & literarum elementa edoctus Oederam missus est, ibique latinæ linguæ tractandæ sub moderamine *Christophori Graubneri*, Rectoris, felix fecit initium, ad studia nempe literarum peculiari quadam propensione, paupertate propositum non labefactante ac pervertente, tractus. Posthac *Dn. Christophoro Schützio*, Pastori Debelensium tunc vicario, ut apud eum in famulatu esset, commendatus, scholam simul urbis illius diligenter frequentavit; et ducibus *M. Christophoro Walrichio*, Rectore, atque *Job. Otzone*, Cantore, trium annorum spatio, discendo exercendoque se, eod usque processit, ut, qui in illustrem Muldanam reciperetur, dignus fuerit iudicatus; id quod A. 1672. die Julii secundo & vigesimo factum est. Et hic studio suo, velut alter *Atticus* (f), multos incitabat, ac sub moderatoribus juventutis solertissimis, *M. Tobia Petermanno*, tunc Cantore, *M. Job. Storio*, & *M. Job. Wolffg. Schænbachio*, Tertius, *M. Justo Godofredo Rabenero*, Con-Rectore, & *Job. Schützio*, Rectore, latissima in studiis, divina adjunctus gratia, capiente incrementa, adeo, ut sexennio utiliter exacto, Hebraicæ Oratione de *Virga Aaronis* habita, Scholæ ultimum vale cum laude acclamare posset. Cum A. 1678. Lipsiam, munificam illam pauperum matrem, salutasset, nil habenti omniumque rerum indigo nihil defuit. Deum enim suos non deserere, expertus didicit; cumque & famulando & informando id, quod famelicum corpus saturare posset, acquirendi occasio data esset, animum doctrinis egregiis exsatiare non oblitus est. Hinc omnibus, quotquot tunc temporis sapientia inclutos sine fovebat suo Lipsiæ viros, *Franckensteinio*, *Rechenbergio*, *Jacobo Thomasio*, *Pfsautzio*, *Hesbusio*, *Valentino Alberti*, *Ottoni Menckenio*, ac *Cypriano*, velut individuus comes, adhæsit. Imo sublimiorem etiam sapientiam, quam Theologiam appellamus, in *Mæbbii*, *Job. Olearii*, *Alberti* & *Scherzeri* schollis tanta est sectatus cura, ut, ad quæ discenda inertibus ac in otio hebescentibus longa tempora requiruntur, ipse intra breve tempus cognosceret. Hinc etiam cum, Deo mirabiliter providente, quatuor pensiones, vel ut vulgo vocantur, Stipendia consecutus subito ditesceret, cito, nempe A. 1680. prima singularis industria præmia, Magisterii nempe honores, ex facili est adeptus. Titulo hoc impetrato, non segnior evadere, quod multis obtingit, metam se propositam jam attingisse, stultè opinantibus; sed eo alacrius in sanctioribus literis imbibendis desudabat, & præcipue, quo pacto ad populū facere debeat verba Orator facer, *Grævio*, post Diacono Sondershusano, & Exc. *Carpzovio*, incomparabili in hoc genere artifice, docentibus, discerebat. At præter opinionem cursus hic pulcherrimus inhihebatur. Paulo post enim cum Lipsiam pestilens quoddam virus inficeret, & nostrum eodem tempore febris ardens invaderet, ac omnibus viribus exhauriret; pater sollicitus, cito advolans, filium secum abducebat. Sed discendi avido extra Academiam etiam Academia erat. Neque enim Noster, dum, sanitati redditus, Dresdæ postea ingenium honestorum Parentum prolem bonis artibus instruebat, sui oblivisceretur; sed potius hic etiam eruditioni suæ augendæ quotidianam navabat operam. Hinc cum fama doctrinæ ejus abdita esse, atque in occulto latere non posset, a Senatu Marienbergensi Con-Rectoris officium A. 1682. humeris suscipere jussus est. Quo onere per annum spatium pulchre portato, ab agnis ad oves, quæ in pago Grosalbersdorff erant, pascendas, Deo sic ordinante, & Generosissimo *Dn. Hauboldo Abrahamo ab Einsidel* vocante, translatus, splendidoque divitiarum laudationis muneri fuit adhibitus. Quoniam enim *Dn. Christianus Käblerus*, Pastor ovium, quæ Christo ibi erant, magno erat natu, viresque jam ad obundas demandatas partes jam non sufficiebant, vicaria *Nostri* fides ei supponebatur. Quinque annos *Käblero* fidem dextramque porrexit, ac de sede mutanda ne cogitaverat quidem; at DEI nutu, benignaque voluntate *Dn. ab Einsidel*, Dynasta in Weisbach &c. A. 1688. alio migrandum, ac æternæ salutis cœtus Einsidelensis opera navanda erat. Quo mentis ardore ac diligentia per annos tres & tringinta huic sacro muneri invigila-

(f) de quo idem refert Nepos noster, in vita ejus, cap. I.

FR 2 d 5730 X 366.5019

verit, norunt omnes, qui eum norant. Utque eo melius illi præset, doctorum virorum scripta non sine maxima voluptate jugiter evoluit, atque indices doctrinæ suæ thesauro addere aliquid studuit; remos & vela non abjicienda esse ratus, si vel maxime tenere portum navis videatur. Quod si ad virtutes *Beati* excurrere hic per paginæ angustiam liceret, amplissimum sane scribendi campus mihi aperiretur. Nihil darem ei, quæ inter nos intercessit, amicitia, si eum, quod *Paulus* a quovis Episcopo seu Ministro Dei requirit (g), *φιλοξενον, φιλαγαθον, σωφροντα, δικαιον, δειον, και ανεχόμενον τὴ κατά την διδαχὴν πρὸς λόγῃς* dicerem. Multa complecti paucis et affirmare liceat, *καθαρόφρον*, ut nomen monebat, eum fuisse, et cordis puritati, quam Christus maximo opere prædicat (h), omni tempore studuisse. In conversando omnibus placere, resalioqui difficillima judicatur. Noster vero & superioribus & paribus & inferioribus gratus erat, omniumque fere animos sibi devinciebat. Quam patiens laborum extiterit, & monumenta, quæ habet ab eo publicum, & maxime insigne illud opus, quod in scriniis ejus later, testari abunde possunt. Extant nempe publice duæ illius Disputationes, quarum prior de *Spiritu erudito familiaris*, Lipsiæ 1679. posterior de *græca voce ἔθνος*, ad illustrandam phrasin Matth III, 1. Luc. XV, 4. ib. 1689. est habita. Extant præterea Concio Valedictoria in Joh. III, 1-15. Chemn. 1688. & Concio Circularis in Cohel. I. v. 5. ibid. a. 1690. excusa. Extant denique tres ejus Parentationes, quarum primam mortuo *Christiano Kæhlero*, Pastori in Gros-Albertsdorff, secundam, defuncto *Isaaco Gottschalch*, Past. Hartav. tertiam in Parentis sui, Christophori Reinholdi, honorem conscriptis ac imprimi curavit. Operis autem præclari, in schedis ejus jam delitescens, cui multum vigiliarum multumque laboris tribuit, quodque ad umbilicum ferme duxit, titulum esse voluit: *Rein-Evangelischer Glaubens-Schatz*; in quo thesauro ordinem Catecheseos Lutheri ita sequitur, ut nullus sit fidei articulus, quem non solide tradat atque exponat. Matrimonii (ut hoc etiam tangam) bis vinciri voluit pacto; siquidem primo sibi virginem lectissimam, *Annam Dorotbeam, Valentini Schvæteri*, civium Dresdensium non ultimi filiam, & hæc fatis functa, Virginem itidem modestam ac pudicam, Mariam Judith, Dn. M. Joh. *Bæhmii*, Pastoris in Clausnitz, filiam, sibi vitæ sociam elegit. E primo conjugio (ut de bene nupta filia nil dicam) Parvulorum admodum Reverendum *M. Johannem Michaelen*, Pastorem Wiedraviensem, & *M. Christophorum Gottlob*, Pastorem Eintrudensium, & secundò, præter filiam jam sponsam, Juvenem Eximium

Johannem Gottbilff Reinboldum

jam a nobis discessurum tum reliquit, cum A. 1721. d. 15. Jun. ex hac miseriarum vale ad æternam felicitatem est transvectus. Ego discessuro de Patre adeo pio, docto ac præstante gratulor, utque illius Fratrumque Honoratissimorum aliquando similis evadat, precor. Neque id, quod precor, eventurum esse, cur desperem, habeo. Talis enim apud nos per duodecim annos, quibus nostrum diximus, fuit, ut eum vestigia adeo laudabilia porro pressurum esse, mihi persuadeam. Bonæ ejus mentis indicium haud obscurum est, quod pauperi ad Precerum aliquorum urbis nostræ mensam accedere gratuito, per omne hoc tempus, licuerit. Si porro, *Reinholde*, Patrem æmulans bonum, bonus fueris, boni etiam alibi tuæ paupertati subvenient. Maxime omnium Servatoris mellitissimi, *septimana hæc magna, de qua sub discessum dicere constituisti*, pro nobis mortui amicitiam ut tibi conferves, enteres; quippe qui inopem Te omni bonorum genere cumulabit. Optabit hoc mecum cumque toto cœtu nostro *Adolescens ad præclaræ quævis natus*

Johannes Georgius Goldschadius, Leisnjc. Misnicus, dimissurus sic honeste contubernalem suum carmine germanico, *expositis* brevi Orat. lat. *iii*, quæ *antiqui Christiani septimana hæc magna & peregerum & inter miserunt*. Vos, *Patroni ac Fautores*, si, talia meditari, tempori congruere judicatis, adeste quæso, & præsentia Vestra Reinholdum exhilarate, qui hoc & alia Vestra beneficia inoblitata mente semper reperet.

(g) Tit. I, 8. 9. (h) Matth. V, 8. (i) Recensentur hæc scripta in Novis Literariis Germaniæ A. 1704. p. 48.

1078 110



F.h. 65

De vita M. Jo. Mich. Reinholdi
Pastor. Einfidelenfis

Z d
5730

31/

J. N. J. C. C

UT

VIRTUTUM NOBILITATE, EXCEL-
LENTIA MUNERUM, ac DOCTRINÆ PRÆSTANTIA
MAXIME CONSPICUI

DOMINI INSPECTORES
SCHOLAE,

AC

ALII VIRI MERITIS AC SCIENTIA
PRAECLARI,
TEMPLI, CURIAE ac URBIS LUMINA,
JUVENEM CANDIDÆ MENTIS BONÆQUE
EXPECTATIONIS,

JOH. GOTTHILFF REINHOLDUM,
Einfidelenf, Mifnicum,

NA MAGNA

mulque Scholæ

ENTEM

Q. C.

e graventur,
tat

Müllerus,

bemn.

C II,
MDCCXXV.

